

CAPUT VIII

DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA ET DE MISSIS DEFUNCTORUM

I. DE MISSIS ET ORATIONIBUS AD DIVERSA

368. Quoniam liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitæ sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali,¹⁴⁴ et quoniam Eucharistia est sacramentum sacramentorum, Missale suppeditat exempla Missarum et orationum, quæ in diversis occasionibus vitæ christianæ adhiberi possunt pro necessitatibus totius mundi aut Ecclesiæ universæ vel localis.

369. Perspecta ampliore facultate eligendi lectiones et orationes, expedit ut Missæ ad diversa moderate, idest quando opportunitas id exigit, adhibeantur.

370. In omnibus Missis ad diversa, nisi aliter expresse caveatur, licet adhibere lectiones feriales, necnon cantus inter ipsas occurrentes, si cum celebratione convenient.

371. In huiusmodi Missis adnumerantur Missæ rituales, pro variis necessitatibus, ad diversa et votivæ.

372. Missæ rituales cum celebratione quorundam Sacramentorum vel Sacramentalium conectuntur. Prohibentur in dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, in sollemnitatibus, in diebus infra octavam Paschæ, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum et in feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ, servatis insuper normis quæ in libris ritualibus vel in ipsis Missis exponuntur.

373. Missæ pro variis necessitatibus vel ad diversa assumuntur quibusdam in rerum adiunctis, sive interdum sive statis temporibus occurrentibus. Ex his ab auctoritate competenti seligi possunt Missæ pro supplicationibus, quæ decursu anni a Conferentia Episcoporum statuentur.

374. Occurrente aliqua graviore necessitate vel utilitate pastoralis, Missa ipsi conveniens celebrari potest, de mandato vel licentia Episcopi diocesani, omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus, dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, diebus infra octavam Paschæ, Commemoratione omnium fidelium defunctorum et feriis IV Cinerum et Hebdomadæ sanctæ.

375. Missæ votivæ de misteriis Domini aut in honorem beatæ Mariæ Virginis vel Angelorum vel cuiusdam Sancti vel omnium Sanctorum, pro fidelium pietate dici possunt in feriis per annum, etiamsi occurrit memoria ad libitum. Celebrari tamen nequeunt, tamquam votivæ, Missæ quæ referuntur ad mysteria vitæ Domini vel beatæ Mariæ Virginis, excepta Missa eiusdem Immaculatæ Conceptionis, quia eorum celebratio cohæret cum anni liturgici cursu.

376. In diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, temporis Nativitatis a die 2 ianuarii, et temporis paschalis post octavam Paschatis, Missæ pro variis necessitatibus, ad diversa

¹⁴⁴ Cf. CONC. ŒCUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 61.

et votivæ per se prohibentur. Si autem aliqua vera necessitas vel utilitas pastoralis id postulet, in celebratione cum populo adhiberi potest Missa huic necessitati vel utilitati respondens, de iudicio rectoris ecclesiæ vel ipsius sacerdotis celebrantis.

377. In feriis per annum in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit Officium de feria, licet celebrare quamlibet Missam vel adhibere quamlibet orationem ad diversa, exceptis tamen Missis ritualibus.

378. Peculiari modo, memoria sanctæ Mariæ in sabbato commendatur, quia Redemptoris Matri in Liturgia Ecclesiæ imprimis et præ omnibus Sanctis veneratio tribuitur.¹⁴⁵

II. DE MISSIS DEFUNCTORUM

379. Sacrificium eucharisticum Paschatis Christi pro defunctis offert Ecclesia ut, inter se communicantibus omnibus Christi membris, quæ aliis impetrent spirituales opem, aliis afferant spei solacium.

380. Inter Missas defunctorum primum locum tenet Missa exsequialis, quæ celebrari potest omnibus diebus, exceptis sollemnitatibus de præcepto, feria V Hebdomadæ sanctæ, Triduo paschali et dominicis Adventus, Quadragesimæ et Paschæ, servatis insuper omnibus servandis ad normam iuris.¹⁴⁶

381. Missa defunctorum post acceptum mortis nuntium, vel in ultima sepultura defuncti, vel in primo anniversario die, celebrari potest etiam diebus infra octavam Nativitatis, diebus quibus occurrit memoria obligatoria aut feria quæ non sit IV Cinerum aut Hebdomadæ sanctæ.

Aliæ Missæ defunctorum, seu Missæ « cotidianæ » celebrari possunt in feriis per annum, in quibus occurrunt memoriæ ad libitum vel fit Officium de feria, dummodo pro defunctis revera applicentur.

382. In Missis exsequialibus habeatur de more brevis homilia, secluso tamen quovis genere laudationis funebris.

383. Incitentur fideles, præsertim e familia defuncti, ut etiam per sacram Communionem sacrificium eucharisticum pro defuncto oblatum participant.

384. Si Missa exsequialis directo conectitur cum ritu exsequiarum, dicta oratione post Communionem, et omissio ritus conclusionis, fit ritus ultimæ commendationis seu valedictionis; qui ritus nonnisi præsentem cadavere celebratur.

385. In ordinandis ac seligendis iis partibus Missæ pro defunctis, præsertim Missæ exsequialis, quæ variari possunt (ex. gr. orationibus, lectionibus, oratione universali), præ oculis habeantur, ut par est, rationes pastorales, quoad defunctum, eius familiam, et astantes.

Specialem insuper rationem habeant pastores de iis qui, per occasionem exsequiarum, liturgicis celebrationibus adsunt vel Evangelium audiunt, sive sunt acatholici sive catholici qui Eucharistiam numquam vel vix umquam participant, vel fidem etiam amisisse videntur: sunt enim sacerdotes ministri Evangelii Christi pro omnibus.

¹⁴⁵ Cf. CONC. ŒCUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 54; PAULUS VI, Adhort. Ap., *Marialis cultus*, diei 2 februarii 1974, n. 9: A.A.S. 66 (1974) pp. 122-123.

¹⁴⁶ Cf. præsertim *Codex Iuris Canonici*, cann. 1176-1185; RITUALE ROMANUM, *Ordo Exsequiarum*, editio typica 1969.

CAPUT IX

DE APTATIONIBUS QUÆ EPISCOPIS EORUMQUE CONFERENTIIS COMPETUNT

386. Missalis Romani instauratio, ad normam decretorum Concilii Œcumenici Vaticani II ætate nostra effecta, assidue curavit ut fideles universi, in celebratione eucharistica, plenam illam, consciam atque actuosam participationem præstare possint, quæ ab ipsius Liturgiæ natura postulatur, et ad quam ipsi fideles, vi suæ condicionis, ius habent et officium.¹⁴⁷

Quo autem celebratio normis et spiritui sacræ Liturgiæ plenius respondeat, in hac Institutione et in Ordine Missæ posteriores aliquæ aptationes proponuntur, quæ iudicio vel Episcopi diœcesani vel Conferentiarum Episcoporum committuntur.

387. Episcopus diœcesanus, qui ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet,¹⁴⁸ vitam liturgicam fovere, moderari eique invigilare debet in sua diœcesi. Ipsi, in hac Institutione, committitur concelebrationis disciplinam moderari (*cf. nn. 202, 374*), normas statuere circa munus inserviendi sacerdoti ad altare (*cf. n. 107*), circa sacram Communionem sub utraque specie distribuendam (*cf. n. 283*), circa domos ecclesiæ exstruendas et ordinandas (*cf. n. 291*). Sed ad ipsum primarie spectat spiritum sacræ Liturgiæ in presbyteris, diaconis et fidelibus alere.

388. Aptationes, de quibus infra, quæ ampliorem coordinationem expetunt, in Conferentia Episcoporum, ad normam iuris, sunt determinandæ.

389. Ad Conferentias Episcoporum competit imprimis huius Missalis Romani editionem in probatis linguis vernaculis apparare atque approbare, ut, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeatur.¹⁴⁹

Missale Romanum sive in textu latino sive in versionibus vernaculis legitime approbatis integre edendum est.

390. Conferentiarum Episcoporum est aptationes definire et, actis a Sede Apostolica recognitis, in ipsum Missale introducere, quæ in hac Institutione generali et in Ordine Missæ indicantur, uti sunt:

- fidelium gestus et corporis habitus (*cf. supra, n. 43*);
- gestus venerationis erga altare et Evangeliarium (*cf. supra, n. 273*);
- textus cantuum ad introitum, ad præsentationem donorum et ad Communionem (*cf. supra, nn. 48, 74, 87*);
- lectiones e Sacra Scriptura peculiaribus in adiunctis desumendæ (*cf. supra, n. 362*);
- forma pro pace tradenda (*cf. supra, n. 82*);
- modus sacræ Communionis recipiendæ (*cf. supra, nn. 160, 283*);
- materia altaris et sacræ suppellectilis, præsertim sacrorum vasorum, necnon materia, forma et color vestium liturgicarum (*cf. supra, nn. 301, 326, 329, 339, 342-346*).

¹⁴⁷ Cf. CONC. ŒCUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 14.

¹⁴⁸ Cf. *ibidem*, n. 41.

¹⁴⁹ Cf. *Codex Iuris Canonici*, can. 838 § 3.

Directoria vero aut Instructiones pastorales, quas Conferentiæ Episcoporum utiles iudicaverint, prævia Apostolicæ Sedis recognitione, in Missale Romanum, loco opportuno, induci poterunt.

391. Iisdem Conferentiis spectat versionibus textuum biblicorum qui in Missæ celebratione adhibentur, peculiari cura attendere. Ex Sacra Scriptura enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, psalmi canuntur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina liturgica effusa sunt, ut ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt.¹⁵⁰

Sermo adhibeatur qui captui fidelium respondeat et publicæ proclamationi aptus sit, notis tamen servatis quæ propriæ sunt diversis modis loquendi in libris biblicis adhibitis.

392. Item Conferentiarum Episcoporum erit versionem aliorum textuum assiduo studio apparare, ut, etiam servata indole cuiusque linguæ, sensus textus primigenii latini plene et fideliter reddatur. In hoc opere efficiendo, spectare expedit diversa litterarum genera quæ in Missa adhibentur, uti sunt orationes præsidiales, antiphonæ, acclamationes, responsa, supplicationes litanicæ, etc.

Præ oculis habeatur quod textuum versio non spectat imprimis ad meditationem, sed potius ad proclamationem vel cantum in actu celebrationis.

Sermo adhibeatur fidelibus regionis accommodatus, attamen nobilis ac litteraria qualitate præditus, firma semper manente necessitate alicuius catechesis de sensu biblico et christiano nonnullorum verborum et sententiarum.

Præstat vero, in regionibus eandem linguam habentibus, pro textibus liturgicis, præsertim vero pro textibus biblicis et pro Ordine Missæ eandem versionem, quantum fieri potest, haberi.¹⁵¹

393. Attento loco eminenti, quem in celebratione cantus obtinet, utpote liturgiæ pars necessaria vel integralis,¹⁵² Conferentiarum Episcoporum est melodias aptas approbare, præsertim pro textibus Ordinarii Missæ, pro populi responsionibus et acclamationibus, et pro peculiaribus ritibus per annum liturgicum occurrentibus.

Item iudicare quasnam formas musicales, melodias, instrumenta musica in cultum divinum admittere liceat, quatenus usui sacro vere apta sint vel aptari possint.

394. Oportet ut quævis diœcesis suum Calendarium et Proprium Missarum habeat. Conferentia vero Episcoporum, pro sua parte, conficiat calendarium proprium nationis, vel, una cum aliis Conferentiis, calendarium amplioris dictionis, ab Apostolica Sede approbandum.¹⁵³

In hoc opere perficiendo, maxime servanda et tuenda est dies dominica, ut primordialis dies festus, exinde aliæ celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi ne præponantur.¹⁵⁴ Item curetur ne annus liturgicus ex decreto Concilii Vaticani II recognitus elementis secundariis obscuretur.

¹⁵⁰ Cf. *ibidem*, n. 24.

¹⁵¹ Cf. *ibidem*, n. 36 § 3.

¹⁵² Cf. *ibidem*, n. 112.

¹⁵³ Cf. *Normæ Universales de Anno liturgico et de Calendario*, nn. 48-51, *infra*, p. 99; S. CONGR. PRO CULTU DIVINO, Instr. *Calendaria particularia*, diei 24 iunii 1970, nn. 4, 8: A.A.S. 62 (1970) pp. 652-653.

¹⁵⁴ Cf. CONC. ŒCUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 106.

In calendario nationis conficiendo, dies indicentur (*cf. n. 373*) Rogationum et Quattuor anni Temporum, et formæ et textus ad illas celebrandas,¹⁵⁵ aliæque peculiare determinationes præ oculis habeantur.

Convenit ut, in edendo Missali, celebrationes quæ toti nationi vel ditioni sunt propriæ suo loco inter celebrationes calendarii generalis inserantur, quæ vero regioni vel diœcesi in Appendice particulari locum habeant.

395. Demum, si fidelium participatio et eorum spirituale bonum varietates et profundiores aptationes requirant, ut sacra celebratio ingenio et traditionibus diversarum gentium respondeat, Conferentiæ Episcoporum illas Sedi Apostolicæ, ad normam art. 40 Constitutionis de sacra Liturgia proponere poterunt, de ipsius consensu introducendas, præsertim pro gentibus quibus Evangelium recentius nuntiatur.¹⁵⁶ Attente serventur peculiare normæ quæ per Instructionem « De Liturgia romana et inculturatione » traditæ sunt.¹⁵⁷

Ad modum autem in hac re procedendi, hæc serventur:

Imprimis prævia propositio Sedi Apostolicæ particulatim exponatur, ut, debita facultate concessa, ad singulas aptationes elaborandas procedatur.

His propositis ab Apostolica Sede rite approbatis, experimenta pro temporibus et locis statutis peragentur. Si casus fert, experimenti tempore expleto, Conferentia Episcoporum aptationum prosecutionem determinabit et rei maturam formulationem Apostolicæ Sedis iudicio proponet.¹⁵⁸

396. Antequam tamen ad novas aptationes, profundiores præsertim, deveniatur, sedulo curandum erit ut cleri et fidelium debita institutio sapienter ordinateque promoveatur, facultates iam prævisæ ad effectum ducantur et normæ pastorales, spiritui celebrationis respondentes, plene applicentur.

397. Principium quoque servetur, iuxta quod unaquæque Ecclesia particularis concordare debet cum universali Ecclesia non solum quoad fidei doctrinam et signa sacramentalia, sed etiam quoad usus universaliter acceptos ab apostolica et continua traditione, qui servandi sunt non solum ut errores vitentur, verum etiam ad fidei integritatem tradendam, quia Ecclesiæ lex orandi eius legi credendi respondet.¹⁵⁹

Ritus romanus partem notabilem et pretiosam liturgici thesauri et patrimonii Ecclesiæ catholicæ constituit, cuius divitiæ ad bonum universæ Ecclesiæ iuvant, ita ut earum amissio ei graviter noceret.

Ritus ille sæculorum decursu non solum usus liturgicos ex urbe Roma ortos servavit sed etiam profundo, organico et harmonico modo alios quosdam in se integravit, qui e consuetudinibus et ingenio diversorum populorum variarumque Ecclesiarum particularium sive Occidentis sive Orientis derivabantur, indolem quandam supraregionalem sic acquirens. Nostris vero temporibus identitas et expressio unitaria huius Ritus invenitur in editionibus typicis librorum liturgicorum ex auctoritate Summi Pontificis promulgatis et in libris liturgicis illis re-

¹⁵⁵ Cf. *Normæ Universales de Anno liturgico et de Calendario*, n. 46, *infra*, p. 98; S. CONGR. PRO CULTU DIVINO, *Inst. Calendaria particularia*, diei 24 iunii 1970 n. 38: A.A.S. 62 (1970) p. 660.

¹⁵⁶ CONC. ŒCUM. VAT. II, *Const. de sacra Liturgia, Sacrosanctum Concilium*, nn. 37-40.

¹⁵⁷ Cf. CONGR. DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, *Inst. Varietates legitimæ*, diei 25 ianuarii 1994, nn. 54, 62-69: A.A.S. 87 (1995) pp. 308-309, 311-313.

¹⁵⁸ Cf. *Ibidem*, nn. 66-68: A.A.S. 87 (1995) p. 313.

¹⁵⁹ Cf. *Ibidem*, nn. 26-27: A.A.S. 87 (1995) pp. 298-299.

spondentibus, a Conferentiis Episcoporum pro suis dicionibus probatis atque a Sede Apostolica recognitis.¹⁶⁰

398. Norma a Concilio Vaticano II statuta, ut innovationes in instauratione liturgica ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant,¹⁶¹ ad ipsius quoque Ritus romani inculturationem operandam applicari debet.¹⁶² Inculturatio insuper necessariam temporis copiam requirit ne festinatim et incaute authentica traditio liturgica contaminetur.

Inculturationis denique inquisitio minime contendit ad novas familias rituales creandas, sed culturae datae exigentiis consulere eo tamen modo, ut aptationes inductae sive in Missali sive in aliis libris liturgicis compositae indoli propriae Ritus romani non sint noxiae.¹⁶³

399. Itaque Missale Romanum, quamvis in linguarum diversitate atque in quadam consuetudinum varietate,¹⁶⁴ in posterum servari debet veluti instrumentum et praeclarum signum integritatis et unitatis Ritus romani.¹⁶⁵

¹⁶⁰ Cf. IOANNES PAULUS II, Litt. Ap. *Vicesimus quintus annus*, diei 4 decembris 1988, n. 16: A.A.S. 81 (1989) p. 912; CONGR. DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, Instr. *Varietates legitimae*, diei 25 ianuarii 1994, nn. 2, 36: A.A.S. 87 (1995) pp. 288, 302.

¹⁶¹ Cf. CONC. ŒCUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 23.

¹⁶² Cf. CONGR. DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, Instr. *Varietates legitimae*, diei 25 ianuarii 1994, n. 46: A.A.S. 87 (1995) p. 306.

¹⁶³ Cf. *ibidem*, n. 36: A.A.S. 87 (1995) p. 302.

¹⁶⁴ Cf. *ibidem*, n. 54: A.A.S. 87 (1995) pp. 308-309.

¹⁶⁵ Cf. CONC. ŒCUM. VAT. II, Const. de sacra Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 38; PAULUS VI, Const. Ap. *Missale Romanum: supra*, p. 14.